

Teucrorum et genti nomen dedit armaque fixit  
Troia, nunc placida compostus pace quiescit.  
nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem, 250  
navibus — infandum — amissis, unius ob iram  
prodimur atque Italis longe disiungimur oris.  
hic pietatis honos, sic nos in scepra reponis.'

Olli subridens hominum sator atque deorum  
vultu, quo caelum tempestatesque serenat, 255  
oscula libavit natae, dehinc talia fatur:  
'parce metu Cytherea, manent inmota tuorum  
fata tibi: cernes urbem et promissa Lavini  
moenia, sublimemque feres ad sidera caeli  
magnanimum Aenean; neque me sententia vertit. 260  
hic tibi — labor enim, quando haec te cura remordet,  
longius et volvens fatorum arcana movebo —  
bellum ingens geret Italia populosque ferocis  
contundet moresque viris et moenia ponet,  
tertia dum Latio regnantem viderit aestas 265  
ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.  
at puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo  
additur — Ilus erat, dum res stetit Ilia regno —  
triginta magnos volvendis mensibus orbis  
imperio explebit regnumque ab sede Lavini 270  
transferet et Longam multa vi muniet Albam.  
hic iam ter centum totos regnabitur annos  
gente sub Hectorea, donec regina sacerdos  
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.  
inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus 275  
Romulus excipiet gentem et Mavortia condet  
moenia Romanosque suo de nomine dicet.  
his ego nec metas rerum nec tempora pono,  
imperium sine fine dedi. quin aspera Iuno,  
quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat, 280  
consilia in melius referet mecumque fovebit  
Romanos, rerum dominos gentemque togatam.  
sic placitum. veniet lustris labentibus aetas,  
cum domus Assaraci Pthiam clarasque Mycenas